

nas actiones effiebat, et hoc peculiari modo actiones miraculosæ humanitatis Christi dicuntur *theandricæ*. Præterea Cyrill., in Exegeti ad Valerian. Episcopum, quæ habetur in Concil. Ephes., tom. 6, c. 17, dicit carnem Christi, quia vivificantis Verbi propria effecta est, actionem ejus participasse; et ep. ad Monachos Ægypti, quæ habetur tom. 1, c. 2, dicit venisse Christum hominem cœlesti virtute instructum, et perfectiori modo quam Moysen miracula fuisse operatum; et lib. 2 in Joan., c. 5, et l. 4, c. 14, advertit Christum interdum tactu carnis effecisse miracula, ut ostenderet ipsam carnem fuisse cooperatricem. Plura alia habet l. 1 de Fide ad Regin., et dial. 6 de Trinit.; Greg. Nazianz., carn. de Miraculis Christi, sæpe ad eundem modum loquitur, et præsertim in miraculis ex Marco sic inquit: *Viribus ejicitur Christi cum dæmone febris*; Athanas., serm. 4 contra Arian., ante medium, sæpe dicit Christum per humanitatem effecisse miracula. Optime Chrys., hom. 26 in Matth., ponderans verba illa: *Domine, si vis, potes me mundare*, advertit non dixisse, *Si oraveris, sed, si vis; omnia, inquit, ejus arbitrio, et potestati committens*, quod Christus ipse, et assensioe, et operatione confirmavit, dicens: *Volo, mundare*; et voluntatem statim sanitatis donum consecutum est. Idem indicat hom. 31 in Joan., et hom. 1 in Acta; Gregor. Nys., orat. in Greg. Thaumaturg.; Euthym., Luc. 7, sub c. 19, sic inquit: *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes, ita quoque sancta ipsius caro divinitati unita, quæ divinitatis sunt, operabatur. Ideo manus quidem mortuum ac desertum corpus conjunxit, vox autem recedentem animam revocavit*. Ambrosius, serm. 90 et 91; Euseb. 4 lib. de Demonst. Evang., c. 13, hoc sensu vocat humanitatem, *organum divinitatis*; et eodem modo loquitur Theodoret. in dialog. *Immutabilis*; August., tract. 24 in Joan., dicit potestatem multiplicandi panes fuisse *in manibus Christi*. Lib. autem 22 de Civit., c. 9, quamvis sub dubio relinquat, an hic modus faciendi miracula communicatus sit Sanctis, tamen aperte supponit illum esse possibilem; et Psal. 138, circa illud: *Mirabilia opera tua*, in hoc magis inclinat, quod Sancti, etiam hoc modo, miracula efficiant, et super Psal. 130, dicit hoc in majorem gloriam Christi cedere, a quo Sancti hanc virtutem accipiunt, unde excellentiori modo ipse illam habet. Unde et Gregorius, 2 Dial., c. 30, duobus modis dicit

Sanctos miracula facere, scilicet, *impetratione*, quod pertinet ad genus causæ moralis, et *potestate*, quod ad genus causæ physicæ spectat, ut D. Thomas exposuit, q. 6 de Potent., art. 4; et bene attingit Canisius, l. 5 de Deip., c. 18.

3. Solum superest ut probemus hunc sensum Scripturæ et Sanctorum posse esse verum, atque adeo non repugnare hanc physicam efficientiam communicari humanitati. Sed hoc potissimum ostendendum est, solvendo difficultates quæ in hac sententia occurrere possunt, et explicando modum quo hæc effectio intelligenda est; quod sect. 5 et sequent. copiose præstabimus. Nunc solum ita suadet, quia nulla ratione asserendum est nihil posse Deum per creaturam efficere, quod creatura per suæ naturæ vires efficere non possit; ergo non repugnat creaturam elevari ad efficiendum aliquid supra naturam suam; ergo nec repugnabit humanitatem Christi elevari ad supernaturalia opera; est enim eadem ratio, et si fundamentum contrariæ sententiæ aliquid probaret, in universum excluderet omnem efficientiam creaturæ supra naturam suam. Antecedens variis exemplis ostendi solet, sed tria sunt potissima. Primum est de actione ignis inferni, de quo alibi latius. Secundum est de sacramentis novæ legis, quæ physice efficiunt gratiam, ut infra, q. 62, late tractabitur; nunc sufficienter verba Concilii Tridentini, sess. 6, c. 7, ubi baptismum vocat *causam instrumentalem gratiæ*. Tertium est de intellectu et voluntate, has enim potentias Deus elevat ad efficiendos actus totam virtutem naturæ superantes, interdum per inhaerentem habitum, interdum vero sine illo, ut ex doctrina de gratia constat.

4. Dices ideo has potentias posse elevari ad hos actus, quia, cum per vires suæ naturæ possint efficere actus intelligendi et amandi in genere, mirum non est quod elevari possint ad perfectiores actus in eodem genere. Sed hoc non enervat argumentum factum, tum quia (ut supra dicebam, disp. 29), quamvis potentia ista viribus suis possint efficere rationes intellectionis et amoris, ut abstracte consideratæ possunt in qualibet specie salvari, tamen, prout in re ipsa sunt contractæ ad actus supernaturales, non possunt attingi ab his potentiis, viribus naturæ, quia in illis sunt elevatæ ad superiorem ordinem; ratio qualitatis ut sic fieri interdum potest a calore, non tamen prout contracta est ad esse gratiæ; tum etiam quia in hoc eadem est

ratio de effectione gratiæ, vel de alio opere supernaturali. Nam cum humanitas Christi natura sua possit efficere aliquam qualitatem, atque adeo attingere rationem qualitatis ut sic, eadem ratione elevari poterit ut efficiat superiorem qualitatem, nempe gratiam, quamvis naturaliter illam efficere non valeat.

5. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondendum est ex professo in sect. 5; nunc breviter dicitur humanitatem elevari per potentiam obedientialem, adhibito concursu illi proportionato. Ad illud vero, quod ibi dicitur de causalitate morali, aut de conditione ad cujus præsentiam Deus operatur, respondetur hoc non satis esse ad veram et propriam efficientiam, quam Scriptura sacra et sancti Patres humanitati Christi tribuere videntur. Nec testimonia Sanctorum ibi citata aliquid juvant, nam in aliis locis satis docuerunt quid de hac virtute et efficientia sentiant; in illis vero locis solum intendunt docere quid conveniat humanitati ex virtute propria, et quid ex virtute divinitatis. Et ita distinguunt actionem quasi præviam humanitatis, ut est tactus, vel locutio in qua virtus humanitatis secundum se terminatur, a principali effectu, verbi gratia, suscitatione mortui, qui principaliter fit ex virtute divinitatis; non tamen solius, sed medio tactu, vel voce, aut alio simili actu humanitatis. Et hunc esse verum sensum, præter citata, constat ex Damasceno, tertio de Fide, cap. 15, ubi dicit aliter passiones humanitatis tribui Christo Deo, et opera divinitatis Christo homini. Primum enim verum est propter solam communicationem idiomatum, non quia illæ passiones ad divinitatem transeant; secundum vero non propter solam communicationem idiomatum, sed etiam quia interdum illa opera per ipsam humanitatem perfecta sunt.

6. Ad ultimam confirmationem, quæ sumebatur ex quibusdam effectibus, in quibus non videtur habere locum efficientia physica, respondetur primum satis esse humanitatem Christi habuisse hanc physicam efficientiam circa illos effectus ad quos est necessaria; nam, si ad aliquos necessaria non est, non ideo in aliis est neganda; cum enim dicitur Christus efficere aliquid miraculosum opus, vere ac proprie intelligitur illum efficere modo necessario, vel tali effectui accomodato, et ita effectus physicos effiebat physice, morales moraliter. Sicut, cum dicitur satisfacisse perfecte per humanitatem, quia effectus ille

moralis est, optime intelligitur de morali perfectione, seu efficacia; et cum permisit Dominus dæmonibus ut in porcos intrarent, non est necesse intervenisse physicam efficientiam, sed tantum permissionem, et ad eundem modum dici potest in similibus. Adde vero in omnibus effectibus in confirmatione illa numeratis, posse intelligi physicam efficientiam; potuit enim ut expelleret dæmones, effective loco movere etiam repugnantes, vel potuit etiam necessitatem physicam illis inferre, ut ipsi consentirent et se moverent. Et simili modo potuit revocare animam Lazari, quantum ad motum ejus localem pertinet, nam de unione illius ad corpus, non est dubium quin per physicam efficientiam fieri debuerit. Denique, cum ambulabat super aquas, poterat vel effective sustinere pondus corporis sui, vel continere aquas ne loco cederent. Et sic de aliis similibus.

SECTIO IV.

Utrum hæc virtus efficiendi miracula, seu gratiam, fuerit communicata humanitati tanquam principali agenti, vel tanquam instrumento.

1. Non agimus de causa prima quæ in actione sua a superioris influxu non pendet. Hoc enim modo, non solum gratiam, vel supernaturalia opera, verum nec naturales ipsas actiones, poterat Christus per humanitatem operari; quia (ut supra dictum est, et per se constat) in illis operabatur ut causa secunda, indigens influxu primæ causæ. Agimus ergo de causa principali, eo modo quo causa secunda habet in suo ordine sufficientem virtutem ad effectum producendum. Et præsertim esse potest difficultas de effectione gratiæ; nam in Scriptura sacra Christus Dominus dicitur fons et auctor gratiæ, juxta illud Joan. 1: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*; et ad Ephes. 1: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*; ergo est principalis causa gratiæ. Secundo, quia Christus est per se gratus per essentiam, alii per participationem; ipse habet a se gratiam, alii ab ipso; ipse est exemplar cui alii per gratiam efficiuntur similes; sed hæc sunt proprietates causæ principalis; ergo. Tertio, quia, si humanitas Christi tantum esset instrumentum gratiæ, haberet gratiam modo minus perfecto quam sit in effectu, quia instrumentum, nec formaliter, neque eminenter continet formam quam effectui communicat, sed inferiori et minus perfecto modo. Quarto, quia sacra-

menta vel ministri sacramentorum sunt instrumenta Christi ad producendam gratiam; Christus igitur altiori modo illam producit, atque adeo ut principalis causa. Propter hæc et similia argumenta, nonnulli ausi sunt dicere Christum efficere gratiam per humanitatem, tanquam per causam principalem, quæ sententia habet speciem pietatis aliquam, veritatis autem aut probabilitatis nullam; quin potius, loquendo de causa proprie et physice efficiente, ut nunc loquimur, existimo esse omnino falsam et temerariam. Nam, loquendo de causa meritoria, potest in genere dici Christus causa principalis, ut loquitur D. Thom., in 4, d. 5, q. 2, art. 2, quæstiunc. 2; quia propria virtute et dignitate potuit perfectissime mereri, et meritum ejus plus valuit quam omnis gratia creata; nunc verò non de hac causa agimus, sed de causa propria efficiente.

2. *Humanitas Christi in miraculis efficiendis solum se habet ut instrumentum Verbi.* — Dico ergo primo, humanitatem Christi Domini non fuisse principium principale proximum ad efficienda miracula, sed solum organum seu instrumentum Verbi divini. Ita sentiunt omnes Theologi præcedenti sectione citati pro utraque sententia ibi tractata, qui potissimum conveniunt in parte negativa hujus conclusionis. Patres etiam ibi citati, ad summum tribuunt humanitati Christi quod sit Verbi instrumentum ad hos effectus efficiendos. Ratione facile demonstrari potest, quia, si humanitas posset concurrere ut principale principium ad has actiones, vel id esset per seipsam, vel per aliquam virtutem illi superadditam: primum dici non potest, quia, cum humanitas de se non habeat intrinsecam virtutem sufficientem ad hunc effectum, si nihil ei superaddatur, nullo modo operari potest ut principalis causa, de cujus ratione est ut habeat intrinsecam virtutem, et sufficientem ad effectum, et ut possit illum producere vi sua, et ex concursu primæ causæ sibi debito; et ideo ad hoc non satis est obedientialis potentia, quæ pertinet ad rationem divini instrumenti, ut infra dicitur; alias omnia sacramenta essent causæ principales, quia elevantur ad agendum per potentiam obedientialem. Secundum etiam dici non potest, quia illa virtus superaddita non potest esse nisi aliqua qualitas inhærens humanitati. Neque enim esse potest aliqua forma substantialis, quia nec posset esse in humanitate Christi, nec per seipsam pertinere ad ordinem super-

naturalem, imo nec transcendere gradum angelicum; oportet ergo ut sit forma accidentalis, et consequenter qualitas quæ sola est principium operandi; non potest autem fingi neque intelligi qualitas aliqua quæ ex natura sua habeat sufficientem virtutem ad efficienda hæc opera cum solo Dei concursu sibi connaturali. Primo, quia talis forma non posset hoc modo esse principium creationis; nam ille modus agendi requirit, saltem in principali agente, infinitam virtutem, ut demonstratur in 1 part., quæst. 45, art. 5; neque etiam posset esse principium miraculosæ transmutationis rei jam existentis, quia hæc non fit juxta naturalem capacitatem subjecti, sed juxta obedientialem; et ideo fieri non potest ex connaturali virtute formæ creatæ, ut recte D. Thom. sentit, 1 part., quæst. 115, art. 2, ad quartum, quia unaquæque res creata in hoc genere solum respectu sui auctoris et creatoris habet hanc obedientialem potentiam; tum quia hæc capacitas obedientialis habet quasi pro objecto adæquato, quidquid non repugnat, et ideo solum dicit ordinem ad illud agens, quod efficere potest quidquid non repugnat, quod si sit principale, necesse est ut virtutem habeat infinitam; tum etiam quia natura non obedit ad nutum, nisi auctori suo, solus enim auctor naturæ potestatem habet supra totam naturam. Cum ergo in omni opere miraculoso quasi abrogentur et rumpantur naturæ leges, nulla virtus creata potest hoc modo ut principale agens operari, sed solus ille qui est supra omnes leges naturæ creatæ. Secundo, quia vel hæc qualitas, seu forma esset una et eadem sufficiens ad omnes actiones miraculosas, et hoc certe incredibile est; nam illæ operationes infinitis modis fieri possunt, et in diversis generibus et ordinibus; excedit ergo perfectionem cujuscunque qualitatis (quam necessario finitam esse oportet), ut de se habeat sufficientem et principalem vim ad hæc omnia efficienda. Vel ad singula miracula specie distincta oporteret singulas qualitates aut formas ponere, et hoc etiam stare non potest. Primo, quia oporteret hujusmodi formas fere in infinitum multiplicari. Secundo, quia si talis forma in uno opere, vel effectum posset operari præter et supra ordinem legemque naturæ, cur non in quolibet? Tertio, quia sæpe opus miraculosum non consistit in productione alicujus rei, vel formæ supernaturalis, sed in modo agendi, ut patet in illuminatione cæci a nativitate; qui modus agendi

proprie oritur ex suprema potestate auctoris naturæ; unde intelligi non potest forma creata et finita, cui naturale sit illo modo operari. Quarto, quia hujusmodi miraculosa actio sæpe est substantialis mutatio; quomodo ergo qualitas erit proprium et principale principium illius? Quinto, qualitas finita habet terminum et modum in agendo, nam potest impediri a medio, vel ex resistentia subjecti retardari, quæ non conveniunt in hanc virtutem miraculorum operatricem. Sexto, si fingatur illa qualitas esse ordinis naturalis, non posset sua propria virtute efficere transmutationes supernaturales; si vero sit ordinis supernaturalis, vel erit principium agendi solum actione transeunti ad modum naturalium formarum; et hic modus cum sit valde imperfectus, indicat imperfectam naturam, et ideo non convenit huic gratiæ miraculorum; vel erit principium actuum immanentium et vitalium, et ita oportet ut sit habitus intellectus aut voluntatis. Talis autem qualitas et non videtur posse esse perfectior quam charitas, vel lumen gloriæ, quæ non habent hanc virtutem, et non posset proxime efficere nisi actum intellectus aut voluntatis, per quos oportet facere effectum miraculosum, solum per modum imperii aut efficacis voluntatis. Producere autem formas hoc modo, vel transmutare res in qualitatibus vel substantiis earum, est proprium voluntatis divinæ, quæ supremum habet dominium et potestatem in res omnes; cujus signum est, quia nulla voluntas creata potest, solum volendo vel imperando, naturali virtute producere aliquam formam, etiam naturalem, neque transmutare res, nisi ad motum tantum localem.

3. *Humanitas Christi non est principalis causa gratiæ.* — Dico secundo: humanitas Christi non habet virtutem producendi gratiam seu supernaturalem justitiam tanquam principalis causa ejus, sed solum ut præcipuum instrumentum Verbo conjunctum. Hæc etiam est communis sententia Theologorum, in 4, d. 1, et D. Thom., 1, 2, q. 112, art. 1, qui falso in contrarium citari solet in hac quæstione, art. 2; nam hic non agit de productione gratiæ, seu gratificatione, sed tantum de illuminatione, de qua alia ratio est, ut declarabimus. Docuit etiam hanc sententiam Driedo, de Capt. et redempt. gen. hum., tract. 2, cap. 1, part. 2, memb. 2, et sumi potest ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7, ubi solum Deum ponit causam efficientem gratiæ, et loquitur de propria et principali;

nam inferius, de instrumentali loquens, eam causalitatem baptismo tribuit. Et similiter favent omnes Scripturæ, quæ proprium Dei esse dicunt gratiam et gloriam conferre, Psalm. 83, et a peccato mundare, Job. 14, Marc. 2; quod necesse est intelligi de causa principali quacumque; nam si solum esset sermo de causa prima, hoc modo etiam est proprium Dei quemcunque alium effectum producere, ut supra dicebamus. Ratione hoc ipsum probari potest, et primum applicari possunt fere omnes factæ pro conclusione præcedenti; quia gratia et justitia producantur in anima, non juxta capacitatem naturalem, sed obedientialem, quæ solum Deo subditur, ut principali agenti, ut ibidem probatum est.

4. *Objectio. — Responsio. — Habitus operativus cur non sit productivus alterius habitus.* — Dices: hac ratione probaretur non posse animam Christi efficere proprios actus supernaturales, ut supernaturaliter illuminare alios per modum principalis agentis, cujus contrarium supra dictum est. Sequela patet, quia etiam isti actus sunt qualitates supernaturales, et consequenter recipiuntur in subjecto, juxta capacitatem obedientialem ejus. Respondetur: quando hi actus fiunt a potentia carente habitu supernaturali, verum est non fieri ab illa ut a principali principio, sed ut ab instrumento moto et elevato divino auxilio, quanquam sit instrumentum vitale et liberum, motum et elevatum modo sibi proportionato. Christi autem anima non sic operabatur unquam, sed per habitus infusos, qui in suo ordine sunt principia principalia, et proportionata actibus ejusdem ordinis, et elevant potentiam, ut sit non solum proportionatum principium, sed etiam quasi connaturale subjectum talium actuum, et ideo de illis est specialis ratio. Et ad eundem modum dicendum est de illuminatione, ut supra diximus; nam vel per eam nihil vere produci- tur in eo qui illuminatur (ut multi volunt), sed solum illi speciali modo proponitur veritas, circa quam illuminatur, per modum objecti, vel, si aliquid produci- tur, illud est sola species, quæ supponit potentiam habere lumen tali speciei proportionatum, per quod est quasi connaturale subjectum susceptivum illius; vel, si oportet ipsum etiam lumen produci, oportet ut illud fiat ab humanitate Christi tanquam ab instrumento Verbi, et non ut a principali principio, ut supra dictum est, et ratio facta probat. Unde argumentor secundo, quia, si anima Christi posset efficere

ut principale agens gratiam in aliis, vel hoc faceret per gratiam quam in sua anima habet, tanquam per formale principium agendi, vel per aliquam aliam qualitatem. Hoc posterius dici non potest, tum quia fortasse nulla potest esse perfectior qualitas, per quam melius participetur divina natura quam sit gratia; tum etiam quia nulla ratio est cur alia qualitas possit natura sua esse effectiva gratiæ, quam gratia ipsa; imo rationes, quibus ostendemus per gratiam hoc fieri non posse, applicari fere possunt ad quamcunque qualitatem. Probatur ergo quod nec primum dici possit. Primo, quia gratia non est qualitas activa sui similis, ut a posteriori ostendi potest, alias unus Angelus, vel anima in gratia constituta, posset sanctificare, et producere similem gratiam in alio. Neque habitus operativi, qui hanc gratiam comitantur, ut charitas, et aliæ virtutes infusæ, possunt per se producere sibi similes; eadem autem ratio est de gratia et de his habitibus. Et ratio reddi potest, quia hæc est communis ratio habitus operativi, ut, scilicet, non sit productivus alterius habitus, sed solum actuum; quod si de gratia loquamur, quæ communiter non censetur habitus operativus, dicemus illam esse in hoc ejusdem rationis cum aliis habitibus supernaturalibus, quibus accommodatur tanquam præcipua forma. Vel certe dici potest gratiam esse eminentem quamdam participationem divinæ naturæ, quæ propterea postulat ut solum per influxum divinitatis natura sua participari possit; et ideo non est qualitas activa sui similis, sed a solo Deo, ut a principali causa producibilis; sicut, quia natura angelica talis est ut ex se postulet produci per creationem, inde fit ut non sit productiva sui similis, sed a solo Deo creari possit. Et confirmatur, nam si gratia creata existens in anima Christi posset esse proprium principium producendi aliam similem, vel hoc faceret veluti actione transeunte ad modum formæ naturalis; et hic modus agendi est imperfectus, et non convenit gratiæ, quæ est quasi quædam natura spiritualis ordinata ad operandum per actus vitales et immanentes. Vel efficeret talem gratiam per aliquem actum vitalem et immanentem, et hoc etiam dici non potest; nam isti habitus infusi non producuntur neque augentur effective per proprios actus, etiam in proprio subjecto; ergo multo minus produci poterunt in subjectis extrinsecis, seu diversis. Denique nulla pura creatura potest esse

principalis causa gratiæ; ergo nec Christi humanitas, quia sola unio per se non auget seu confert virtutem agendi, ut supra ostensum est.

5. *Responsio ad argumentum.*—Ad rationes vero in principio positas facile potest responderi. Ad primam dicitur, Christum in genere causæ meritoriae esse fontem et auctorem gratiæ, non tamen proprie in ratione efficientis physice, si in rigore loquamur; comparando enim Christi humanitatem ad alia instrumenta gratiæ, ut ad sacramenta et sacramentorum ministros, dici quodammodo potest Christus principale agens, ut etiam D. Thom. loquitur, in 4, d. 5, q. 2, art. 2, quæstiune. 2, ad 1, quia omnium aliorum virtus ab ipso manat et pendet, et ad humanitatem Christi reliqua comparantur tanquam instrumenta separata ad conjunctum. Nihilominus tamen proprie, et in rigore, non est principalis causa physica, quia non habet virtutem propriam ad producendam gratiam, ut ostensum est. Quinimo etiam si in justificatione peccatoris consideremus id quod est veluti morale quid, et consistit in condonatione vel remissione peccati, quæ simul cum productione physica gratiæ conjuncta est, quoad hoc, etiam remissio peccati non est a Christo homine, ut operante per voluntatem humanam, ut a causa principali, sed a solo Deo, qui per peccatum præcipue offensus est. Et hoc modo dixit D. Thom. infra, q. 16, artic. 11, ad 2, potestatem dimittendi peccata esse in natura divina per auctoritatem, in humana autem natura Christi, *instrumentaliter et per ministerium.*

6. *Gratia hominum quomodo sit participatio gratiæ Christi.*—Ad secundam rationem respondetur, illa omnia, de quibus ibi fit mentio, quamvis per se non sint requisita ad causalitatem instrumentalem, tamen ad perfectam causam meritoriam, vel necessario et per se requiri, vel saltem multum conferre, et etiam esse aptissima ornamenta humanitatis, quæ est instrumentum conjunctum Verbi, licet ad causalitatem instrumentalem non essent simpliciter necessaria. Christus ergo dicitur per se gratus, per gratiam unionis, ratione cujus etiam ipsam gratiam accidentalem a se habere dicitur. Alii vero sanctificantur per gratiam participatam ab alio, quæ tamen, physice loquendo, non est propria participatio gratiæ Christi, sed divinitatis, quæ sola est principale principium ejus, atque adeo primum etiam exemplar ex parte causæ effi-

cientis sufficientissimum. In genere autem causæ meritoriae, dici potest nostra gratia participatio justitiæ Christi, in quantum illa fuit principium merendi nobis justitiam; et eodem modo gratia Christi potest dici exemplar nostræ gratiæ ex parte nostra, quia oportet ut illi in gratia conformemur, ut in simili dixit D. Thom. infra, q. 56, art. 1, ad tertium, quæ omnia respectu physice causalitatis instrumentalis quasi concomitanter se habent. Et per hæc responsum est ad alias rationes, quæ difficultatem non habent.

SECTIO V.

Quid sit in humanitate Christi hæc virtus seu potentia per quam operatur miraculose ut instrumentum Verbi.

1. In hoc dubio explicandus est modus quo humana natura elevari potuit ad hos effectus miraculose producendos, et simul expedietur difficultas in qua hærebat illa sententia, quæ hanc physicam efficientiam negabat. Sunt autem inter Theologos varii modi explicandi hanc rem. Primus est, humanitati Christi datam esse qualitatem aliquam superioris ordinis, quæ esset virtus instrumentaria ad has actiones efficiendas, sicut a multis philosophis dicitur calor datus igni, ut sit illi instrumentum ad formam substantialem producendam. Ita opinantur Palud., Capreol. et Ferrar., locis supra citatis, et D. Thom. tribuunt, qui, de humanitate Christi loquens, nunquam hoc significavit, quanquam agens de sacramentis, interdum obscure loquatur, ut suo loco videbimus. Scotus etiam, in 4, d. 1, q. 4 et 5, et d. 6, q. 5, et Richar., d. 1, art. 4, q. 3, quamvis hanc efficientiam negent, tamen, si admittatur, necessarium putant fieri media aliqua qualitate. Fundamentum est illud supra tactum, quia humanitas non potest fieri potentior, nisi aliqua virtus ei addatur; non potest autem addi, nisi per aliquam qualitatem.

2. *Virtus faciendi miracula in Christo non est qualitas humanitati superaddita.*—Hæc tamen opinio mihi non probatur, sicut nec Cajetano, Soto, et aliis discipulis D. Thom., quam contra illius doctrinam esse existimo; nam in 2, q. 178, art. 1, ad primum, impossibile existimat principium operandi miracula esse aliquam qualitatem habitualiter manentem in anima; si autem in Christo esset hæc virtus, esset aliqua qualitas permanens per modum habitus, quia hoc modo

communicata est illi hæc potestas faciendi miracula. Adde, si non potest dari talis qualitas permanens, a fortiori nec dari posse per modum transeuntis, quidquid Capreolus et alii dicant, tum quia qualitas permanens perfectior est quam transiens, saltem in modo existendi; tum etiam quia nulla intelligi potest hujusmodi qualitas, quæ sit transiens ad modum rei successivæ, quia non habebit unam partem post aliam, sed tota simul erit cum omnibus suis partibus pro aliquo instanti aut tempore, et solum dicetur transiens, quia brevi tempore duratura est; omnis autem hujusmodi qualitas, cum natura sua non pendeat a causa successiva, sicut conservatur a Deo per breve tempus, ita potest per longum conservari. Si ergo potest esse per modum transeuntis, etiam poterit esse permanens per modum habitus; est ergo eadem ratio de utraque, et ita rationes, quas faciemus, æque de utraque procedent. Probatur ergo primo, hanc virtutem humanitatis Christi non esse aliquam qualitatem illi superadditam, quia vel qualitas illa potest natura sua facere hæc opera, vel non; si non, non est ergo virtus miraculorum, et sine causa ponitur, nam oportebit de eadem quærere, quomodo elevetur ad agendum ultra terminos naturæ suæ; si vero dicatur natura sua hoc posse, contra hoc procedunt fere omnes rationes factæ præcedenti sectione, quibus ostendimus, superare naturalem perfectionem qualitatis finitæ, habere naturalem vim ad efficienda opera supra totam legem naturæ, solum quia non implicent contradictionem. Quod si dicatur eas rationes procedere de principio principali agendi, non vero de instrumento, fateor ad hoc probandum habere majorem vim; tamen, si proportionaliter applicentur, saltem multæ ex illis satis probabiliter ostendunt, excedere perfectionem cujusdam accidentis et qualitatis finitæ, habere connaturalem vim, etiam instrumentalem, ad tot effectus, tamque supernaturales et admirabiles. Secundo, quia omnis qualitas, quæ operatur ad efficiendum perfectius opus per modum instrumenti, semper illud facit media aliqua actione magis proportionata, cujus ipsa sit veluti proprium et principale principium; ut, si calor est instrumentum ad faciendam formam substantialem, hoc facit prævia calefactione, quæ est actio sibi accommodata tanquam proprio et principali principio, et idem est de reliquis. Et hoc principium docuit D. Thom., 1 part., quæst. 45, art. 5; et rationem ejus reddidit,

quia nisi hæc instrumenta connaturalia agentem aliquid proprium, quo attingerent effectum principalis agentis, nulla esset ratio assignandi determinata instrumenta ad determinatas actiones; at vero in hujusmodi qualitate non potest intelligi talis actio connaturalis quæ natura sua tendat, et quasi viam præparet ad actionem principalis agentis. Responderi potest ex Capreolo, et aliis, hanc qualitatem efficere quamdam præviam dispositionem, per quam attingit effectum principalis agentis. Sed imprimis nec ipsi explicant, nec facili concipi potest, quæ dispositio sit ista, quæ paret viam ad consecrationem, vel restitutionem visus, vel alias similes actiones. Et deinde interrogo, an illa dispositio sit aliqua naturalis qualitas, vel supernaturalis; si naturalis, impertinens est, neque ex natura sua disponere potest ad effectum supernaturalem; si supernaturalis, illa non poterit fieri ab alia qualitate, ut a principio principali; fiet ergo instrumentaliter; ergo oportebit fieri alia actione prævia, et sic procedemus in infinitum, vel argumentum suam vim retinebit. Et confirmatur, nam si hæc qualitas miraculorum effectrix haberet propriam aliquam operationem præviam, cujus ipsa esset veluti proprium et principale principium, dependeret in illa a distantia loci, a dispositione seu resistantia mediis seu subjecti, quod est contra modum operandi talis virtutis. Quæ ratio etiam probat actionem hanc instrumentalem faciendi miracula non esse ex naturali virtute alicujus qualitatis finitæ; nam omnis hujusmodi qualitas pendet in omni actione sua naturali a supradictis circumstantiis. Tertio, rogo an illa qualitas sit corporea, vel spiritalis. Primum affirmat Paludan., sed non videtur verisimile; quomodo enim corporea qualitas potest virtute sua naturali efficere formas spirituales et supernaturales, et miraculosos effectus? Secundum affirmat Capreol., sed est difficile ad intelligendum; nam caro Christi erat effectiva miraculorum, et per vocem materialem producebat gratiam in anima; ergo oporteret illam qualitatem esse in ipsa carne, vel voce Christi; non potest autem qualitas spiritalis esse in subjecto corporeo, nam vel esset extensa, quod est contra rationem ejus, vel tota esset in toto, et tota in singulis partibus, quod videtur repugnare formæ dependenti a subjecto in fieri et in esse, qualis est omnis forma accidentalis. Et præterea, quia qualitas spiritalis non habet naturalem habitudinem ad corpus, nec

proportionem cum illo; ergo non potest informare illud, quia forma non potest informare subjectum, nisi sit suæ naturæ proportionatum; ergo nec potest recipi in illo, quia forma tantum recipitur in eo subjecto quod informat; unde, propter similem rationem, non potest fides recipi in voluntate, nec charitas in intellectu. Quod vero Capreolus distinguit, dicens, spiritualem qualitatem non posse recipi in corpore permanentem, posse tamen transeunter, nihil ad rem pertinet, quia rationes factæ æque de utroque modo procedunt; et (ut supra dicebam) illa differentia solum potest consistere in majori quadam duratione, quæ parum aut nihil refert ad minuendam vel augendam hanc repugnantiam. Quarto argumentor, quia vix concipi potest quomodo aliqua qualitas sit ex natura sua potens ad expellendos dæmones, et curandos omnes morbos uno momento sine resistantia, et non per alterationem aliquam, sed per modum imperii, neque naturali necessitate, sed ad nutum humanæ voluntatis. Hæc enim et similia, quæ supra de virtute principali dicebamus, eodem modo procedunt de instrumentali. Unde formari potest ultima ratio, quia, si hæc qualitas inhærebat in carne Christi, sicut ab aliis corporibus expellebat quamcunque ægritudinem, ita posset in corpore Christi impedire omnem contrariam alterationem seu passionem, unde fieret carnem Christi esse inseparabilem.

3. Nec satisfaciet si quis dicat noluisse Christum uti illa qualitate ad hunc effectum, quia, si talis effectus est connaturalis illi qualitati, non poterat impediri per voluntatem Christi, ut operantem per suas vires naturales, sed ut instrumentum Verbi; ergo, vel hoc efficiebat per ipsammet qualitatem, quod plane repugnat, vel quærenda erit alia qualitas, per quam hic effectus fiat, quod etiam improbabile est. Sic enim facile poterit procedi in infinitum, et illud inconueniens nunquam satis expeditur, quia, juxta hunc modum, necessario videtur sequi carnem Christi, juxta intrinsecam dispositionem suam, fuisse impassibilem, miraculose autem, et quasi ex divina virtute, pati potuisse. Ultimo tandem Christus interdum operabatur miracula per vocem, interdum tactu, sputo, unctione luti; quomodo ergo illa qualitas in hæc omnia diffundeatur?

4. Secundus modus dicendi est, hanc virtutem miraculorum non esse rem aliquam, vel qualitatem inhærentem humanitati, et

permanentem in illa; sed esse quemdam artificiosum motum, quem Deus imprimebat actionibus illius humanitatis, per quem illas elevabat ad supernaturales effectus; et hunc motum vocant instrumentariam virtutem. Ita docet Scotus, et multi ex Thomistis, adducti verbis D. Thomæ locis citatis, qui interdum ita loqui videtur; hi vero auctores non probant suam sententiam, sed explicant exemplo instrumentorum artis, quæ ab artifice humano elevantur per motum artificiosum ad proprium effectum perficiendum; non repugnat autem Deum simili modo operari.

5. Sed hæc sententia vel rem non explicat, vel falsa est, minusque intelligi potest quam præcedens; rogo enim quid sit hic motus artificiosus. Si enim nihil reale est receptum in humanitate Christi, aut verbo, vel tactu ejus, quod sit veluti principium actionis miraculosæ, sed solum sit supernaturalis efficientia et concursus Dei, hoc modo, neque explicatur, nec solvitur posita difficultas, quia per illum motum modo explicatum intelligi potest Deum efficere effectum, tanquam per actionem, vel concursum suum, non tamen potest intelligi quid per illum efficiat humanitas, quandoquidem neque est actio, neque aliquid aliud. Si autem per motum artificiosum intelligat hæc opinio aliquid impressum, inhærens humanitati, sic est falsa, et minus intelligi potest; quia talis motus vel esset alteratio, et hoc non, quia oporteret per illum aliquam qualitatem produci, quod jam explosum est; vel esset motus localis, et hoc etiam dici non potest, tum quia sæpe operari potest anima Christi effectum miraculosum per voluntatem suam absque motu locali, aut per vocem absque alio artificioso motu, præter illum qui ex natura rei necessarius est ad formandam vocem, in quo nullum est artificium in ordine ad supernaturalem effectum producendum; motus ergo ille non potest esse virtus instrumentalis; tum etiam quia quidquid esse fingatur hujusmodi motus, est quid imperfectius quam quælibet qualitas; ergo natura sua non potest esse virtus ad agendum supernaturalem effectum; ergo nec per illum elevari potest humanitas ad hos effectus supernaturales efficiendos. Exemplum autem illud sumptum ex instrumentis rerum artificialium nihil ad rem hanc explicandam juvat, quia hæc instrumenta artis mota ab artifice revera nihil efficiunt proprie et per se, quod illorum formas et virtutem superet. Quia per se primo per hujusmodi instrumenta solum

fit applicatio vel expulsio alicujus corporis ab hoc vel illo loco; et motus instrumenti directus seu gubernatus ab arte, solum ad hoc deservit, ut hæc introductio vel expulsio corporis in loco ordinate fiat, ut inde resultent diversæ figuræ, per quas res artificiosæ constituuntur. Unde fit ut hic motus non sit proprie ratio et principium agendi, sed tantum applicatio et conditio requisita, ut possit, per instrumentum, aliud corpus hoc vel illo modo movere; et ideo ex his instrumentis, et ex modo eorum, non potest sumi argumentum ad instrumenta supernaturalia, nec ad virtutem eorum explicandam, in qua difficultate nunc versamur.

6. Tertio modo explicari solet hæc difficultas ex Cajetano et Ferrar. supra, humanitatem, et in universum omnem rem creatam elevari ad efficiendum aliquid, ut instrumentum Dei, non per aliquam rem, vel qualitatem, vel physicum motum qui humanitati vel instrumento superaddatur; sed solum quia ita subordinatur divinæ voluntati, ut per seipsam, vel per suam actionem intimet divinum imperium, per quod res omnis vel effectus fieri potest. Sed hæc sententia vel rem non explicat, vel tollit veram et propriam efficientiam istorum instrumentorum. Interrogo enim quid sit intimare divinum imperium, præsertim circa res quæ cognitione careant, vel circa effectus denuo producendos. Vel enim solum est ad præsentiam talis rei, vel actionis naturalis, Deum imperio suo rem efficere, et hunc esse ordinem infallibilem ex Dei pacto, vel promissione, et hoc modo negatur his instrumentis vera actio et efficientia, et inciditur in opinionem asserentem esse conditiones sine quibus non fit effectus, et ad quarum præsentiam statim fit, Deo ita disponente et ordinante; quod tandem concessit Ferrar., 3 contra Gent., cap. 102. Vel intimare imperium, est vere exequi et efficere supernaturale opus juxta divinum imperium, et in hoc sensu non explicatur res, sed petitur principium per hunc dicendi modum; hoc enim est quod inquirimus, quomodo efficiant absque superaddita virtute.

7. *Instrumentalis virtus miraculorum in Christi humanitate quid sit.* — Dicendum ergo videtur hanc virtutem instrumentalem in Christi humanitate non esse rem vel entitatem aliquam, aut intrinsecum modum humanitati additum, illique inhærentem, ut bene probant quæ contra primam sententiam et secundam dicta sunt; sed esse potentiam obe-